

www.e-rara.ch

M. T. Ciceronis Epistolarum volumen, earum quae familiares olim dictae, nunc rectius ad familiares appellantur

Cicero, Marcus Tullius

Augustae Munatianae, 1620

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28569>

Ciceronis epistolarum ad Metellum, & alios. Liber V.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CICERONIS EPI-
STOLARVM AD ME-
tellum, & alios.

LIBER V.

ARGVMENTVM.

*Queritur Metellus Celer, qui Galliam proconsul re-
gebat, Metellum Nepotem, fratrem suum, à Cicerone
oppugnatum. Videtur esse paulo arrogantior epistola.*

Expostulatoria.

Q. Metellus, Q. F. Celer, procos.
s. D. M. Tullio Ciceroni.

*a Non proprie
dictum. vide
sequentem epi-
stolam.*



*I uales, bene est. Existimaram, pro mu-
tuo inter nos animo, & pro a reconci-
liata gratia, neq; me absentem ludibrio
psum iri, nec Metellum fratrem, ob di-
ctum, capite ac fortuna per te oppu-*

*b Nobilissima,
licet plebeia.*

*gnatum iri. quem si parum pudor ipsius defendebat,
vel b familia debebat nostra dignitas, vel meum stu-
dium erga vos remq; pub. satis subleuare. Nunc video il-
lum circumuentum, me desertum à quibus minimè
conueniebat. Itaque in luctu & squalore sum, qui pro-*

*c In Piceno
contra Catili-
nā Sallustius.*

*uincia, qui c exercitui præssum, qui bellum gero. Qua
quoniam nec ratione, nec maiorum nostrorum clemen-
tia administraſtis, non erit mirandum si vos pænite-
bit. Te tam mobili in me meosq; esse animo, non spera-
bam. Me interea nec domesticus dolor nec cuiusquam
iniuria à rep. abducat. Vale.*

ARG.

ARG. Excusat se de Metello Nepote, suaq. in ipsum Celerem merita commemorat.

Defensoria, Excusatoria.

M. Cicero s. D. Q. Metello, Q. F.
Celeri procos. 2

SITV exercitusque valetis, bene est. a Scri- a Initium ex-
bis ad me, te existimasse, pro mutuo inter cusationis ad
nos animo, & pro reconciliata gratia, nūquam querelam Me-
te à me ludibrio la sum iri. Quod cuiusmodi fit, tello.
satis intelligere non possum: ed tamen suspicor
ad te esse allatum, me, in senatu, quum disputa-
rem permultos esse qui remp. à me cōseruatam
dolerent, dixisse, à te b propinquos tuos, qui b Notat Me-
bus negare non potuisses, impetrasse vt ea quæ tellum Nepotē,
statuisses tibi in senatu de mea laude esse dicen- Metelli Celeris
da, reticeres. Quod quum dicerem, illud adiun- fratrem.
xi, mihi tecum ita dispersitum officium fuisse
in reip. salute retinenda, vt ego urbem à c do- c Lentuli &
mesticis insidiis, & ab intestino scelere, tu I- Cethegi.
talian & ab d armatis hostibus & ab occulta d Catilinā si-
coniuratione defenderes: atque hanc nostram gnificat, qui
tanti & tam præclari muneris societatem à exierat, voc-
tuis propinquis labefactatam: qui, quum tu à bus & minis
me rebus amplissimis atque honorificentissi- extrusus Cico-
mis ornatus esses, timuissent ne qua mihi pars ronis consulis.
abs te voluntatis mutuz tribueretur. Hoc in qua de re qua-
sermone, quum à me exponeretur quæ mea tuor extant o-
expectatio fuisset orationis tuæ, quantoque in rationes.
errore versatus essem: visa est oratio non in-
iucunda, & mediocris quidam est e risus con- e Quia meam
sequutus, nō in te, sed magis in errorem meum, inanem ambi-
& quod me abs te cupisse, laudari, a pertē tionē fatebat.

atque ingenuè confitebar. Iam hoc non potest in te non honorificè esse dictum, me in clarissimis meis atque amplissimis rebus tamen aliquod testimonium tuæ vocis habere voluisse. Quod autem ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitia mu-

a Aculeus in Metellū, quasi parem voluntatem nō reddiderit. tum, nescio: equidem hoc arbitror, quum *a* par voluntas accipitur & redditur. Ego si hoc dicam, me tua causa prætermisisse prouinciam, tibi ipse leuior videar esse. meæ enim rationes ita tulerunt: atque eius mei consilij maiorem

b Galliã. orat. in Pisonem. in dies singulos fructum voluptatēque capio. illud dico, me, vt primum in concione *b* prouinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpisse. Nihil dico

c Prouincias aut fortiebantur, aut comparabāt inter se. Linius, & alij. de *c* fortitione vestra: tantum te suspicari volo, nihil in ea te per collegam meum me insciente esse factum. Recordare cetera: quàm citò senatum illo die, facta fortitione, coegerim, quàm multa de te verba fecerim: quum tu ipse mihi dixisti, orationem meam non solum

d Pratores. nã erat prator Metellus, quo tempore prouinciam est fortitus. in te honorificam, sed etiam in *d* collegas tuos contumeliosam fuisse. Iam illud S. C. quod eo die factum est, ea præscriptione est, vt, dum id extabit, officium meum in te *e* obscurum esse non possit. Postea verò quàm profectus es, velim recordere quæ ego de te in senatu egerim,

e Ob eorū claritatem, qui scribēdo assueverunt: quæ S. C. auctoritates dicebantur. quæ in concionibus dixerim, quas ad te literas miserim. Quæ quum omnia collegeris, tu ipse velim iudices, satisne videatur his omnibus rebus tuus aduentus, quum proximè Romam venisti, mutuo respondiisse. Quod scribis de reconciliata nostra gratia: non intelligo cur reconciliatam esse dicas, quæ nunquam

quam immutata est. Quod scribis, non oportuisse, Metellum, fratrem tuum, ob dictum à me oppugnari: primum hoc velim existimes, animum mihi istum tuum vehementer probari, & fraternam, plenam humanitatis ac pietatis voluntatem: deinde, si qua ego in te fratri tuo reip. caussa restiterim, peto ut mihi ignoscas. tam enim sum amicus reip. quàm qui maximè. Si verò meam salutem contra illius impetum in me crudelissimum defenderim, satis habeas, nihil me etiam te cum de tui fratris iniuria conqueri quem ego quum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare atque meditari, egi cum *b* Claudia, vxore tua, & cum vestra sorore *c* Mutia (cuius erga me studium, pro Cn. Pompeij necessitudine, multis in rebus perspexeram) ut eum ab illa iniuria detererent. Atque ille (quod te audisse credo) pridie cal. Ian. qua iniuria nemo vnquã in aliquo magistratu improbissimus ciuis affectus est, ea me consulem affecit, quũ remp. conseruassem, atque abeuntem magistratu concionis habendæ potestate *d* priuauit. Cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. nam quum ille nihil mihi nisi ut iurarem, permitteret: magna voce *e* iuravi verissimum pulcherrimumq; iusiurandum: quod populus item magna voce, me verè iurasse, iurauit. Hac accepta tam insigni iniuria, tamen illo ipso die misi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo ut ab illa mente desisteret. quibus ille respondit, sibi non esse integrũ. etenim paulo antè in concione dixerat, ei qui in alios animaduertisset indicta caussa, dicendi ipsi potestatem fieri non

a Piũ Metellũ.
sed non aquum dicit esse.

b Sorore. *P.*
Clodij.

c Vxore *Cn.*
Pompeij, ut est apud Dionem, Plutarchum, Pedianum, & alios.

d Pro ea potestate quã tribunus pl. habebat.

e Iurauit rēp. à se seruatam: in oratione in Pisonem.

a *Catilina fo-*
cios.

b *Pridie consu-*
latum absolu-
erat.

c *In senatu.*

d *Hoc usus est*
verbo, ut osten-
deret, non op-
pugnationem
suam fuisse, sed
defensionem.

e *Qua lauda-*
tur: animi dis-
solutio repre-
henditur.

f *Quā agere-*
tur, de Nepote
reipub. admi-
nistratiōe
submouendo.
Suet. in Iulio.

oportere. Hominem grauem & ciuem egre-
gium: qui, qua pœna senatus, consensu bono-
rum omnium, a eos affecerat, qui urbem in-
cendere, magistratus ac senatum trucidare, bel-
lum maximum conflare voluissent, eadem di-
gnum iudicaret eum qui curiam cæde, urbem
incendiis, Italiam bello liberasset. Itaque ego
Metello fratri tuo presenti restiti. nam in senatu
cal. Ian. sic cum eo de rep. disputaui, vt sentiret
sibi cum viro forti & constanti esse pugnan-
dum. Ad 3. non. Ian. quum c agere cœpisset,
tertio quoque verbo orationis suæ me appella-
bat, mihi minabatur: neque illi quidquam de-
liberatius fuit, quàm me, quacunque ratione
posset, non iudicio, neque disceptatione, sed vi
atque impressione euertere. Huius ego temeri-
tati si virtute atque animo non d restitissem,
quis esset qui me in consulatu non casu potius
existimaret quàm consilio fortem fuisse? Hæc si
Metellum cogitare de me nescisti, debes existi-
mare te maximis de rebus à fratre esse cæla-
tum: sin aliquid impertiuisti tibi sui consilii, lenis
à te & facilis existimari debeo, qui nihil tecum
de his ipsis rebus exoptulem. etsi intelligis,
non me dicto Metelli (vt scribis) sed consilio
eius animoq; in me inimicissimo esse commo-
tum. Cognosce nunc humanitatem meam: si
e humanitas appellanda est, in acerbissima in-
iuria remissio animi ac dissolutio. Nulla est à
me vnquam sententia dicta in fratrem tuum.
quotiescunque aliquid est actum, sedens iis a
sensi qui mihi f lenissimè sentire visi sunt. Ad-
dam illud etiam quod iam ego curare non de-
bui, sed tamen fieri non molestè tuli, atq; etiam
vt ita

vt ita fieret, pro mea parte adiuui, vt S. C. meus inimicus, quia tuus frater erat, subleuaretur.

Quare non ego oppugnaui fratrem tuum, sed fratri tuo repugnaui: nec in te (vt scribis) animo fui mobili, sed ita stabili, vt in mea erga te voluntate, etiam desertus ab officiis tuis permanerem. Atque hoc ipso tempore tibi, penè minitanti nobis per literas, hoc rescribo atque respondeo. Ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo. meus enim me sensus, quanta vis fraterni sit amoris, admonet. à te peto vt tu quoque a æquum te iudicem dolori meo præbeas, si acerbè, si crudeliter, si sine causa sum à tuis oppugnatus, vt statuas mihi non modò non cedendum, sed etiam tuo atque exercitus tui auxilio in eiusmodi causa vtendum fuisse. Ego te mihi semper amicum esse volui, me vt tibi amicissimum esse intelligeres, laboraui. maneo in voluntate, & b quoad voles tu, permanebo: citiusque amore tui fratrem tuum odisse desinam, quàm illius odio quidquam de nostra beneuolentia detrahatur. Vale.

a Eodem modo loquutus est ep. 1. l. 2.

b Ita humanitatem præ se fert, vt tamen grauitatem non abiciat.

ARG. Quæ sequitur epistola, non dubito quin Metelli Celeris potius sit, quàm Nepotis: & in epistola Nepotem puto significari.

Reconciliatoria.

Q. Metellus Celer s. D. Ciceroni. 3

HOMINIS importunissimi a contumelia, qui- a Maledicta
bus me, crebris concionibus, onerat, tuis erga me of- in te iniquissi-
ficiis leniuntur, & vt sunt leues huiusmodi homines, à ma.
me despiciuntur: libenter quæ commutata persona, te mihi
fratris

fratris loco esse duco. de illo ne meminisse quidem volo: ramer si bis eum inuitum seruauit. De me, meisq; rebus, ne uobis multitudine literarum molestior essem, ad Lollium perscripsi: de rationi us etiam prouincia quid

a Quod puto uellem fieri, ut uos doceret & commonesaceret. Si a esse difficile. poteris, uelim pristinam tuam erga me uoluntatem quum à fratre conserues. Vale.

meo grauissimā iniuriam acciperis.

ARG. Studium, & auxilium Metelli Nepotii, consularum gerentiu, exul implorat.

Petitoria.

Cicero s. d. Metello Nepoti cos. 4

LITERAE Quinti fratris, & T. Pomponij, a T. Lentulo, qui reuulit ad senatum de Cicerone restituendo. b Quod ab eo, qui antea fuerit inimicus, satis uidetur. c Clodianorum nam & l. 4. ad Att. epi. 3. apellatur hic Metellus frater T. Clodij, Ciceronis inimici. d Consulem P. Lētulū, ad salutem Ciceronis pensi.

L necessarii mei, tantum mihi spei dederant, ut in te non minus auxilij, quàm in tuo collega, mihi constitutum fuerit. Itaque ad te literas statim misi, per quas, ut fortuna postulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petii. Postea mihi non tam meorum literarum, quàm sermones eorum qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant. quæ res fecit ut tibi literis obstrepere non auderem. Nunc mihi Quintus, frater meus, b mitissimam tuam orationem, quã in senatu habuisses, perscripsit: qua inductus, ad te scribere sum coactus: & abs te, quantum tua fert uoluntas, peto quæ sôque ut tuos mecum serues potius, quàm propter arrogantem crudelitatem c tuorum me oppugnes. Tu, tuas inimicitias ut reip. donares, te uicisti, alienas ut contra rempub. confirmes, adduceres? Quod si mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo. sin mihi neq; d magistratū, neque

neque senatum, neque populum auxiliari, propter eam vim quæ me cum rep. vicit, licuerit: vide ne, quum velis reuocare tempus omnium conseruandorum, quum qui seruetur, non erit, non possis. Vale.

ARG. Exprobrat Antonio, qui Macedoniam proconsul regebat, ingrati animi vitium: deinde Atticum illi commendat.

Exprobratoria, Commendatoria.

Cicero s. d. Antonio M. F. Imp. 5

ET SI statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendatitias (non quòd eas intelligerem satis apud te valere, sed ne iis qui me rogarent, aliquid de nostra coniunctione immutatum esse ostenderem) tamen quum T. Pomponius, homo omnium meorum in te studiorum & officiorum maximè conscius, tui cupidus, nostri amantissimus, ad te proficisceretur, aliquid mihi scribendū putauī: præsertim a quō aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desiderem, mirum nemini videri debeat. omnia enim à me in te profecta sunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. pro his rebus nullā mihi abs te relatā esse gratiam, tu es optimus testis. contrā etiam esse aliquid abs te profectū, ex multis audiui (nam, cōperisse me, non audeo dicere: ne fortè id ipsum verbum ponā quod abs te aiunt falso in me solere cōferri) sed ea quæ ad me delectata sunt, male te ex Pomponio, cui nō minus molesta fuerunt, quàm ex meis literis, cognoscere. Meus in te

Miror cur imperatori adscribat, quum in provincia male rem abeogestam, Dio, Osequens, Epidome Liuiana, significent. Signifi. at se inuitum scripsisse.

Ad augendā copiam hic est locus cum illo conferendus, epist. 8.

Vide ad Att. ep. 10. l. 1.

*a Iudicium
quod in Anto-
nium paraba-
tur, M. Caelio
accusatore: quo
in iudicio An-
tonium Cicero
defendit. Vide
orat. pro Caelio.*

animus quàm singulari officio fuerit, & senatus & populus R. testis est: tu, quàm gratus erga me fueris, ipse existimare potes: quantum mihi debeas, ceteri existiment. Ego, quæ tua causa antea feci, voluntate sum adductus ut facerem, posteaque constantia: sed a reliqua (mihi crede) multo maius meum studium maioremq; grauitatem & laborem desiderant: quæ ego si non profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustinebo: sin ingrata esse sentiam, non committam ut tibi ipse insanire videar. ea quæ sint, & cuiusmodi, potes is ex Pomponio cognoscere. Atque ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut quanquam ipsius causa confido te omnia esse facturum, tamen abs te hoc petam, ut, si quid residet in te amoris erga me, id omne in Pomponii negotio ostendas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

ARG. Narrat se diligentiam adhibuisse ne Sextio succederetur. Adscribit de domo à se emptâ.

Nuntiatoria.

Cicero s. D. P. Sextio L. F. procos. 6

QVVM ad me Decius librarius tuus venisset, egissetq; mecum ut operam darem ne tibi hoc tempore succederetur: quàmquam illum hominem frugi & tibi amicum existimabam, tamen, quòd memoria tenebam, cuiusmodi ad me literas antea misisses, non satis credidi homini prudenti tam valde esse mutatam voluntatem tuam. Sed postea quàm & Cornelia tua Terentiam conuenit, & ego cum *Qu. Cornelio* loquutus sum, adhibui diligentiam quotiescunq; senatus

senatus fuit, ut adessem: plurimumque in eo negotii habui, ut *Qu.* Fusium tribunum pl. & ceteros, ad quos *a* tu scripseras, cogere mihi potius credere quam tuis literis. omnino res tota in mensem Ianuarium reiecta erat, sed facile obtinebatur. Ego, tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras, velle te bene euenire quod de Crasso domum emissem, emi eam ipsam domum xxxv, *b* aliquanto post tuam gratulationem. Itaque nunc me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam *c* coniurare, si quis me recipiat: sed partim odio inducti me excludunt, & aperte vindicem coniurationis oderunt: partim non credunt, & à me insidias metuunt, nec putant ei nummos deesse posse, qui ex *d* obfidione fœneratores exemerit. *e* omnino semisibus magna copia est: ego autem meis rebus gestis hoc sum assequutus, ut *f* bonum nomen existimer. Domum tuam atque ædificationem omnem perspexi, & vehementer probaui. *g* Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu grauissimè ac diligentissimè defendi: senatumque vehementer oratione mea atque auctoritate commoui. Tu ad me velim literas crebrius mittas. Vale.

ARG. Leuiter expostulat quod Pompeius sibi de oppressa Catilina coniuratione non esset pro re magnitudine literis gratulatus.

Expостulatoria.

Cicero s. d. Cn. Pompeio, Cn. F.

Magno, Imp.

SI TU exercitusque valetis, bene est. Ex literis tuis quas publicè *a* misisti, cepi vnà cum omni-

a Ut tibi succederetur, contra quam Decius mecum egerat.

b Expone, tricies quinquies. Gel. l. 12. c. 12.

c Alludit ad coniurationem Catilinae ex ære alieno contractam.

d De off. l. 12.

e Libri veteres omni, pro, cuius.

f Debitor qui soluendo esse possit.

g Collegam suum in consulatu, què postea Cælius accusauit. vide orationem pro M. Calio.

a Confecto Mithridatico bello.

omnibus incredibilem voluptatem. tantam enim spem otii ostendisti, quantam ego semper omnibus, te vno fretus, pollicebar. sed hoc scito, tuos veteres hostes, novos amicos, vehementer literis percussos atque ex magna spe deturbatos iacere. Ad me autem literas quas misisti, quanquam exiguam significationem tuae erga me voluntatis habebant, tamen mihi scito iucundas fuisse. nulla enim re tam latari soleo quam meorum officiorum conscientia. quibus si quando non a mutuo respondetur, apud me plus officii residere facillime patior. Illud non dubito, quin, si te mea summa erga te studia parum mihi adiunxerunt, resp. nos inter nos conciliatura coniuncturaque sit. ac, ne ignores quid ego in tuis literis desiderarim, scribam aperte, sicut & mea natura & nostra amicitia postulat. Res eas gessi, quarum aliquam in tuis literis, & nostrae necessitudinis & reip. causa, gratulationem expectaui: quam ego abs te praetermissam esse arbitror, quod verebatur ne cuius animum offenderes. sed scito, ea quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae iudicio ac testimonio comprobari. quae, quum veneris, tanto consilio tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi, multo maiori quam Africanus fuit, me, non multo minorem quam Laelium, facile & in rep. & in amicitia adiunctum esse patiari. Vale.

a Mordet Pö-
petium, ut im-
memorem be-
neficij. habue-
rat enim Cice-
ro orationē pro
lege Manilia,
de bello Mi-
thridatico illi
demandando.
b Ut Crassi, aut
Casari, qui co-
iuratos non esse
interficiendos
sensit.

ARG. Officium suum in Crassium predicat: omniaque pollicetur quae ad illius commodum aut amplitudinem pertinebunt.

Cicero

Cicero s. d. M. Licinio P. F.

Crasso.

QUANTVM meum studium extiterit dignitatis tuæ vel tuendæ, vel etiam augendæ, non dubito quin ad te omnes tui perscripserint. non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi quod silentio posset præteriri. Nam & cum *b* consulibus & cum multis consularibus tanta contentione decertavi, quanta nunquam antea, vlla in causa: suscepique mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis: veterique nostræ necessitudini iamdiu debitum, sed multa varietate temporum *c* interruptum officium cumulato reddidi. Neque mehercule vnquam mihi tui aut colendi aut ornandi voluntas defuit: sed quædam pestes hominum, laude aliena dolentium, & te nonnunquam à me alienarunt, & me aliquando *d* immutarunt tibi. Sed extitit tempus optatum mihi magis quàm speratum, vt, florentissimis tuis rebus, mea perspicì posset & memoria nostræ voluntatis & amicitia fides. Sum enim consequutus, non modò vt domus tua tota, sed vt cuncta ciuitas me tibi amicissimò esse cognosceret. itaque & præstantissima omnium scæminarum *e* vxor tua, & eximia pietate, virtute, gratia, *f* tui Crassi meis consiliis, monitis, studiis actionibusq; nituntur: & senatus, populusque R. intelligit, tibi absenti nihil esse tam promptum aut tam paratum, quàm in omnia rebus quæ ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam. Quæ fiat acta quæque agantur, domesticorum

a Proficiscetur Crassus ad bellum Parthicum.

b Domitio, & Appio.

c Fuerat enim simultas inter eos. Plutarchus.

d Leuius est quàm alienarunt: & huius immutationis causam in alios confert.

e Suet. in Iulio. *f* Fily, Marcus, & Publius: quorù Marcus Casaris in Gallia quæstor, Publius, legatus bel. Gal.

tibi

*a Abineunte
igitur adoles-
sentia, nam a-
dolescens ad-
modū caussam
egit pro Sex.
Roscio Ame-
rino.*

*b Paria officia
modestè postu-
lat.*

c Ep. 1. l. 10.

*d Hic .n. Cice-
roni patrē con-
ciliauit. vide
Plutarchū in
Crasso.*

tibi literis declarari puto. De me sic existimes, ac tibi persuadeas, vehementer velim, non me repentina aliqua voluntate, aut fortuito, ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse, sed, ut primum a forum attigerim, spectasse semper ut tibi possem quam maximè esse coniunctus. Quo quidem ex tempore, memoria teneo, neque meam tibi obseruantiam, neque mihi tuam summam beneuolentiam a liberalitatem defuisse. si qua interciderunt, non tam re quàm suspicione violata, ea quum fuerint & falsa & inania, sint euulsa ex omni memoria vitaque nostra. is enim tu vir es, & eum me esse cupio, ut, quoniam in eadem reip. tempora incidimus, coniunctionem amicitiamque nostram utrique nostram laudi sperem fore. Quamobrem tu quantum tuo iudicio tribuendum nobis esse putes, b statues ipse, & ut spero, statues ex nostra dignitate: ego verò tibi profiteor atque polliceor eximium & singulare meum studium in omni genere officii, quod c ad honestatem & gloriam tuam spectet. In quo etiam si multi mecum contendunt, tamen cum reliquis omnibus, tum Crassis tuis iudicibus, omnes facilè superabo. quos quidem ego ambos vnicè diligo, sed in Marco beneuolentia impari: hoc magis sum d Publio deditus, quòd me, quanquam à pueritia sua semper, tamen hoc tempore maximè, sicut alterum parentem, & obseruat & diligit. Has literas velim existimes foederis habituras esse vim, non epistolæ: meque ea quæ tibi promitto ac recipio, sanctissimè esse obseruaturum, diligentissimeque facturum. Quæ à me suscepta defensio

est, te absente, dignitatis tuæ, in ea iam ego non solum amicitia nostræ sed etiam a constantia meæ causa permanebo. Quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum, hoc ad te scribere, me, siquid ipse intelligerem aut ad voluntatem, aut ad *b* commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea *c* sponte id esse facturum: sin quippiam aut à te essem admonitus, aut à tuis, effecturum ut intelligeres, nihil neque te scripsisse, neque quenquam tuorum frustra ad me detulisse. Quamobrem velim ita & ipse ad me scribas de omnibus minimis, maximis mediocribusque rebus, ut ad hominem amicissimum: & tuis præcipias, ut *d* opera, consilio, auctoritate, gratia mea sic utantur in omnibus publicis, priuatis, forensibus, *e* domesticis tuis, amicorum, hospitem, clientum tuorum negotiis, ut, quoad eius fieri possit, præsentia tuæ *f* desiderium meo labore minuatur. Vale.

a Vide ep. 5.

b Epist. 5.

c Idem ep. 3. l. 9.

d Auge copiam ex aliis locis, ep. 3. 4. & 6. l. 1.

e Non potuit esse amabilior epistola.

f Quo tenetur amici tui, hospites, clientes.

ARG. Vatinius, ex consulatu à Casare dictatore in Illyricum missus, commendat suam dignitatem Cicero-
ni contra maleuolorum obtreffationes.

Petitoria.

P. Vatinius Imp. s. D. Ciceroni suo. 9

a Caprat bene-

Si vales, bene est: ego valeo. Si tuam consuetudinem uolentiã à cõ-
in parrocinijs tuendis seruas, P. Vatinius cliens ad memoratiõne
te venit, qui pro se causam dicere uult. Non, puto, repu-
diabis in honore, quem in periculo recepisti. ego autem cõ. de quo be-
quem potius, adoptem, aut inuocem, quam illum quo a nescio Vale-
defendente vincere didici? an uereãr ne, qui potentissim-
morum hominum conspirationem neglexerit pro mea cap. 2.

salute,

salute, ut pro honore meo, pusillorum ac maleuolorum ob-
trectationes & inuidias non prosternat atque obterat?
Quare, si me, sicut soles, amas, suscipe meorum, atque
hoc, quidquid est oneris ac muneris, pro mea dignitate
tibi tuendum ac sustinendum puta. Scis meam fortunam
nescio quo modo facile obtrectatores inuenire, non
meo quidem mehercule merito: sed quantum refert, si
tame: fato nescio quo accidit? Si quis forte fuerit, qui
nostra dignitate esse velit, peto à te ut tuam consue-
tudinem & liberalitatem in me absente defendendo
mibi præstes. Literas ad senatum nostris de rebus a ge-
stis quo exemplo miseram, infra tibi perscripsi. Dicitur

a In Dalma-
tia.

b De hoc seruo
vide ep 77. l. 13.

c Dalmatia
nomen ab urbe
Daimnio de-
ductum, signi-
ficat Strabo l. 7.

mibi tuus seruus anagnostes b fugitiuus cum Vardais
esse: de quo tu mihi nihil mandasti: ego tamen, terra
marig, ut conquireretur, præmandauit: & profectò tibi
illum reperiam, nisi si in c Dalmatiam aufugerit: &
inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale.
ad 5. Id. Quint. ex castris, Narona.

ARG. Scribit hac, de Dionysio Ciceronis seruo, de Ca-
tilio pirata, de rebus à se in Dalmatia gestis, pro quibus
supplicationes sibi decerni postulat.

Responsoria ad deprecatoriam.

Vatinius Imp. s. D. Cicconi.

10

SI uales, bene est: ego quidem valeo. De Dionysio
tuo adhuc nihil extrico, & eo minus, quod me frigus
a Quum neque Dalmaticum, quod illinc eiecit, etiam hic refrigerauit.
seruum possim sed tamen non desistam quin illum aliquando eruam.
inuenire, neq. Sed tamen omnia mihi a dura imperas. de Catilio
de Catilio, quod nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligentissima.
peris, facile apage te cum nostro Sex. Seruilio: nam mehercule ego
concedere. illū quoq. amo. Sed huiusmodi nos clientis, huiusmodi
causas

causas recipitis? hominem unum omnium crudelissimum, qui tot ingenuos, matres familias, ciues R. occidit, arripuit, disperdidit, regiones vastauit? simius, non semisus homo, contra me arma tulit, & eum bello cepi. Sed tamen, mi Cicerone, quid facere possum? omnia mehercule cupio qua tu mihi imperas. meam animaduersionem & supplicium, quo usurus eram in eum quem cepissem, remitto tibi & condono. quid illis respondere possum, qui sua bona direpta, naues expugnatas, fratres, liberos, parentes, occisos, actione expostulant? si mehercule Appij a os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est: faciam omnia sedulo quate sciam velle. defenditur a Q. Volusio, tuo discipulo. si forte ea res poterit aduersarios fugare, in eo maxima spes est. Nos, siquid erit istuc opus, defendes. Caesar adhuc mihi iniuriam facit: de meis supplicationibus & rebus gestis Dalmaticis adhuc non b refert: quasi verò non iustissimi triumphi in Dalmatia res gesserim. nam si hoc expectandum sit, dum totum bellum conficiam: viginti oppida sunt Dalmatia antiqua: qua ipsi sibi adsciuerunt, amplius sexaginta. hac nisi omnia expugno, si mihi supplicationes non decernuntur, longè alia conditione ego sum ac ceteri imperatores.

E G O, post supplicationes mihi decretas, in Dalmatiam profectus sum: sex oppida vi oppugnando cepi: unum c hoc, quod erat maximum, quater à me iam captum. quatuor enim turrets, & quatuor muros cepi, & arcem eorum totam: ex qua me niues, frigora, imbres, detruferunt: indignèque, mi Cicerone, oppidum captum & bellum iam confectum relinquere sum coactus. Quare te rogo, si opus erit, ad Casarem meam causam agas, meq; tibi in omnes d. partes defendendum putes, hoc existimans nemi-

a Si essem ita impudens, ut Appius ore scilicet durissimo.

b Relatio ad senatum consuluerat, & consuluerat Caesar.

c Proxiuè à se relictum.

c Ep. 10. l. 4

minem te tui amantiorem habere, Vale. nonis Dec
Narona.

ARG. Suum studium erga uxorem Vatinij ip-
sumq; Vatinium significat. rogat deinde vt omnino sibi
remittat seruum suum fugitiuum Dionysium.

Responsoria ad commendatoriam. Petitoria.

Cicero s. d. Vatinio imp.

II

*Epistolam Va-
tini, cui hac re
spondet, peris-
se constat.*

GRATA tibi esse officia mea non miror. co-
gnoui enim te gratissimum omnium, id-
que nunquam desisti predicare. nec enim tu
mihi gratiam modò habuisti, verumetiam cu-
mulatissimè retulisti, quamobrem reliquis tuis
rebus omnibus pari me studio erga te & eadem
voluntate cognosces. Quòd mihi sceminam
primatiam Pompeiam, uxorem tuam, commen-
das: cum Sura nostro statim, tuis literis lectis,
loquutus sum, vt ei meis verbis diceret, vt,
quicquid opus esset, mihi denuntiaret, me om-
nia quæ ea vellet, summo studio curaque factu-
rum. itaque faciam, eamque si opus esse videbi-
tur, ipse conueniam. Tu tamen ei velim scri-
bas, vt nullam rem neque tam magnam ne-
que tam paruam putet, quæ mihi aut difficilis
aut parum me digna videatur. omnia quæ in
tuis rebus agam, & non laboriosa mihi & hone-
sta videbuntur. De Dionysio, si me amas, confi-
ce, quamcunque ei fidem dederis, præstabo: si
verò improbus fuerit, vt est, duces eum a capti-
uum in triumpho. Dalmatis dii malè faciant,
qui tibi molesti sunt. sed, vt scribis, breui capien-
tur & illustrabunt res tuas gestas, semper enim
habiti sunt bellicosi. Vale.

*a Apparet
Dionysium in
manu Vatinij
fuisse.*

ARG.

ARG Luceium historiarum scriptorem rogat, ut de rebus à se in consulatu gestis separatim volumen conficiat. quod illustrius videbatur.

Petitoria.

Cicero s. D. L. Luccio Q. F. 12

CORAM metecum eadem hæc agere sæpè conantem deterruit pudor quidam penè subrusticus: quæ nunc expromam absens audacius. epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque (vt ego arbitror) reprehendenda, nomen vt nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis. quod etsi mihi sæpè ostendis te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meæ, Genus enim scriptorum tuorum etsi erat semper à me vehementer expectatum, tamen a vicit opinionem meam, meque ita vel cepit vel incendit, vt cuperem quam celerrimè res nostras monumentis commendari tuis. Non enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit; sed etiam illa cupiditas, vt vel auctoritate testimonii tui, vel indicio benevolentia, vel suauitate ingenij, viui perfruamur. Neque tamen, hæc quum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum & iam institutarum. sed, quid videbam b Italici belli & ciuilis historiam iam penè à te esse perfectam, dixeras autem mihi te reliquas res ordiri, deesse mihi nolui, quin te admonerem vt cogitares coniunctène malles cum ceteris rebus nostra contexere, an vt multi Græci fecerunt (Callisthenes Troicum bellum, Timæus

Hanc epistolam ipse bellam vocat in epistola 6 lib. 4. ad Atticum.

a Laudatio ad colligendam benevolentiam.

b Belli socialis: quum socii se ciuitate extrusos indignati arma suscipiunt.

- Pyrrhi, Polybius, Numantinum, qui omnes à perpetuis suis historiis ea quæ dixi bella separauerunt) tu quoque item & civilem coniurationem ab hostilibus externisque bellis seiungeres. Equidem ad nostram laudem non multum video interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te expectare dum ad locum venias, at statim causam illam totâ & tēpus arripere. Et simul, si b vno in argumento vnaque in persona mens tua tota versabitur, cerno iam animo quanto omnia vberiora atq; ornatiores futura sint. Neq; tamen ignoro quàm impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneris imponam (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, vt ornes me, postulem. Quid, si illa tibi non tantoperè videntur ornanda? sed tamen, qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & nauiter oportet esse impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo vt & ornes ea vehementius etiam quàm fortasse sentis, & in eo a leges historiæ negligas, gratiamque illam de qua suauissimè quodam in proœmio scripsisti, à qua te affici nō magis potuisse demonstras, quàm Herculem d Xenophontium illum à voluptate, ea si me tibi vehementius commendabit, ne aspernere, amoriq; nostro plusculum etiam quàm concedit veritas, largiari. Quòd si te adducemus vt hoc suscipias, erit (vt mihi persuadeo) materies digna facultate tua. A principio enim coniurationis vsque ad d reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse. In quo & illa poteris vti ciuiliū commutationum e scientia, vel in explicandis causis re-
- a. Casilin. arĩa*
- b. Vt rārum & de ciuili coniuratione, & de me vno, a quo est extincta, cogites.*
- c. Quæ nihil p. ster veritatem concedūt. d. Apud Xenophontem lib. 2. Memorabiliū. & de off. l. 1.*
- d. Ab exilio.*
- e. Quæ te publicæ mutationis peritū ostēdes.*

sis rerum nouarū, vel in remediis incōmodorū,
 quū & reprehendes ea quæ vituperanda duces,
 & quæ placebunt exponendis rationibus com-
 probabis, & si liberius, vt consuesti, agendū pu-
 tabis, multorū in nos a perfidiā, insidias, prodi-
 tionē, notabis. Multā etiam casus nostri tibi va-
 rietatem in scribendo suppeditabunt, plenam
 cuiusdam voluptatis, quæ vehementer animos
 hominum in legendo scripto retinere possit.
 N I H I L est enim aptius ad delectationem le-
 ctoris, quā temporum varietates fortunæque
 vicissitudines: quæ etsi nobis optabiles in expe-
 riendo non fuerunt, in legendo tamen erunt
 iocundæ. H A B E T enim præteriti doloris secu-
 ra recordatio delectationem: cæteris verò, nulla
 perfunctis propria molestia, casus alienos sine
 vlllo dolore intuentibus, etiam ipsa misericor-
 dia est iocunda. Quem enim nostrū ille mo-
 riens apud Mantineam Epaminondas non cum
 quadam b miseratione delectat? qui tum deni-
 que sibi auelli iubet spiculum, posteaquam ei
 percunctanti dictum est, clypeum esse saluum:
 vt etiam in vulneris dolore, æquo animo cum
 laude moreretur. Cuius studium in legendo
 non erectum Themistoclis fuga reditūque reti-
 netur? etenim ordo ipse annalium mediocri-
 ter nos retinet quasi enumeratione fastorum:
 at viri sæpè excellentis ancipites variique casus
 habent admirationem, expectationem, latti-
 tiam, molestiam, spem, timorem: si verò exitu
 no abili concluduntur, expletur animus iocun-
 distimæ lectionis voluptate. Quo mihi acciderit
 optatus, si in hac sententia fueris, vt à conti-
 nentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam re-

a Notat Pompeium & Galios,
 à quibus corra-
 fidem & ami-
 citiam prodi-
 tus est, vt Cle-
 dio gratifica-
 rentur.

b Misericordia
 ex illius inte-
 ritu, delecta-
 tio ex animi
 constantia &
 amore: g:
 suos. Viue li-
 storiam apud
 Amilium
 Probum, Iusti-
 num. l. 6. &
 Strabonē l.

a Ratio cur fabulam dixerit.

b Amouet à se suspicionem assentationis.

c Plin. l. 7. c. 37.

d Actiue posuit, pro iis qui non nouerant.

e antiqua figura, de qua vide nostra scholia.

f Dio Chrysostomus in orat. Corinthiaca.

g A persona Lucceij.

rum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulã rerum euentorumq; nostrorum *a* habet enim varios actus, multasque actiones & consiliorum & temporum. Ac non vereor *b* ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videat, quum hoc demonstrarem, me à te potissimum ornari celebrarique velle. neque exim tu is es, qui quid sis nescias, & qui non eos magis qui te non admirantur, inuidos, quàm eos qui laudent, assentatores arbitrere. Neque autem ego sum ita demens, vt me sempiternæ gloriæ per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriã consequatur. Neque enim Alexander ille gratiæ causa ab *c* Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat, sed quòd illorum artem cum ipsis tum etiam sibi gloriæ fore putabat. atque illi artifices, corporis simulacra *d* ignotis nota faciebant: quæ vel si nulla sint, nihilo sunt tamen obscuriores clari viri. Nec minus enim est Spartiatus Agelilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam *e* imaginẽ suam passus est esse, quàm qui in eo genere laborarunt. Vnus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium statuasq; superauit. Atque hoc præstantius mihi fuerit & ad lætitiã animi & ad memoriæ dignitatem, si in *f* tua scripta peruenero, quàm si in cæterorum, quòd non ingenium mihi solùm suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam auctoritas clarissimi & spectatissimi viri, & in reip. maximis grauissimisque causis cogniti, atque in primis probati:

probat: vt mihi non solùm præconium, quod, quum in Sigæum venisset, *a* Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam graue testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. placet enim Hector ille mihi *b* Næuianus, qui non tantùm laudari se lætatur, sed addit etiam, à laudato viro. Quòd si à te non impetro, hoc est, si qua te res impedierit neque enim *c* fas esse arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo & clarorum virorum. sed, quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere *d* vitia: & verecundius ipsi de sese scribant necesse est, siquid est laudandum, & prætereant, siquid fortè reprehendendum est. Accedit etiam vt minor sit fides, minor auctõritas, multi denique reprehendant, & dicant verecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui, quum cæteris coronas imposuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronuntiarint, quum ipse ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne sua voce ipsi se victores esse prædicent. Hæc nos vitare cupimus, &, si recipis causam nostram, vitabimus: idque vt facias, rogamus. Ac, ne fortè mirere, cur quum mihi sæpè ostenderis te accuratissimè nostrorum temporum consilia atque euentus literis mandaturum, à te id nunc tantoperè & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quòd *e* alacres animo sumus, & vt cæteri, viuentibus nobis, ex libris tuis nos cognoscant, & nosmetipsi

a Non satis est res præclaras gerere, sed scriptore etiã excellenti opus est.

b Apud Næuium poetam.

c Argumentũ ab amicitiã.

d Causa, quã ipsi à scribendo de se deterreant.

e Plus significauit, quam si dixisset, cupiditas nam in alacritate motus est, summa alacritas index.

viui gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium: sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar. tu interea non cessabis, & ea quæ habes instituta, perpolies, nosque diliges. Vale.

ARG. Significat, Lucæ littera consolatoria quantum profecerint ad eam sollicitudinem, minuendam, quam ex afflictâ rep. capiebat.

Responsoria ad consolatoriam.

Cicero s. D. Luceo.

13

QUANQUAM ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissima est (declarat enim summam benevolentiam cõiunctam pari prudentia) tamen illum fructum ex iis literis vel maximum cepi, quod te præclare res humanas contemnentem, & optimè contra fortunam paratum armatumque cognoui. Quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, NON aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut malè viuendi suspensas habere rationes, quæ cogitatio quum mihi non omnino excidisset (etenim penitus infederat) vi tamen tempestatum & concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque conuulsa: cui te opitulari & video, & id fecisse etiam proximis literis, multumque profecisse, sentio. Itaque hoc sæpius dicendum, tibi que non significandum solam, sed etiam declarandum, arbitror, nihil mihi esse po-

a Notandū ad nostram imitationem, quor verba simul at tulerit ad perficiendam exornandamq, translationē.

se potuisse tuis literis gratius. Ad consolandum autem cum illa valent, quæ eleganter copioseq; collegisti, tū nihil plus quàm quòd firmitudinē grauitatemq; animi *a* tui perspexi, quam non imitari, turpissimum existimo. *b* Itaque hoc etiam fortiozem me puto, quàm te ipsum præceptiozem fortitudinis, quòd tu mihi videris spem nonnullam habere, hæc aliquando futura meliora. casus enim gladiatorij, similitudinesq; ex tunc rationes in ea disputatione à te collectæ, *c* vetabant me reipubl. penitus diffidere. Itaque alterum minus mirum, fortiozem te esse, quàm aliquid speres, alterum mirum, spe vlla teneri. Quid est enim non ita affectum, vt id non deletum extinctumq; omne esse fateare? circumspecte omnia membra reipubl. quæ notissima sunt tibi. nullum reperies profectò, quòd non fractum debilitatumve sit. quæ persequeris, si aut malius ea viderem quàm tu vides, aut commemorare possem sine dolore. quanquam tuis monitis præceptisque omnis est abiiciendus dolor, Ergo & *d* domestica feremus, vt censes, & publica paulo etiam fortius sortasse quàm tu ipse qui præcepis. te enim spes aliqua consolatur, vt scribis: nos autem erimus etiam in omni desperatione fortes, vt tu tamen idem & hortaris & præcipis. Das enim mihi iocundas recordationes *e* conscientia nostræ, rerumq; earum quas, te in primis auctore, gessimus. præstitimus enim patriæ non minus certè quàm debuimus: plus profectò quam est ab animo cuiusquam aut consilio hominis postulatum. Ignosces mihi de me ipso aliquid prædicanti. quarum enim tu rerum cogitatione

a Ab exēplo.

b Atque, magis placeret.

c Eò spectabāt, ne profusus de rep. desperarē.

d Opinor, Tulliola mortem.

e Quia semper optimè de rep. se simus. quæ est iocunda recordatio.

nos leuare ægritudine voluisti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque, vt mones, quantum potero, me ab omnibus molestiis & angoribus abducam, transferamque animum ad ea a quibus secundæ res ornantur, aduersæ adiuuantur. tecumque & ero tantum, quantum ratietur vtriusque ætas & valetudo, & si esse vnà minus poterimus quàm volumus, animorum tamen coniunctione, iisdem studiis ita fruemur, vt nunquam non vnà esse videamur. Vale.

a Studiū phi-
losofiphæ signifi-
cat: quod coluit
maximè post
afflictam rēp.

ARG. Causam quarit, cur Cicero ab vrbe tam diu absit: hortaturq; vt animum à mœrore abducatur.

Consolatoria, Dissuasoria.

Luceius s. D. Ciceroni.

14

SI vales, bene est: ego valeo sicut soleo, paululo tamen etiam deterius quàm soleo. Te requisivi sapius, vt viderem. Roma quia postea non fuisti quàm à me discesseras, miratus sum: quod item nunc miror. non habeo certum quæ te res b hinc maximè retrahat. si solitudine delectare, quum scribas, & aliquid agas eorum quorum consuesti, gaudeo, neq; reprehendo tuum consilium. nam nihil isto potest esse iocundius, non modo miseris his temporibus & luctuosis, sed etiam tranquillius & optatis, præsertim vel animo defatigato tuo, qui nunc quietem quarat ex magnis occupationibus, vel erudito, qui semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, te ipsum laudibus illustret. sin autem, sicut hic dum eras, & lacrymis & tristitia te tradidisti: doleo, quia doles & angere: nec possum te (si concedis, quod sentironus, vt libertus dicamus) non accusare. quid enim?

b Ab vrbe.

enim? tu solus aperta non a videbis, qui propter a a Id est, te que-
 cumen occultissima perfici? tu non intelliges te que- relis nihil pro-
 relis quotidianis nihil proficere? non intelliges dupli- ficere.
 cari sollicitudines, quas eleuare tua te prudentia postu-
 lat? Quod si non possumus aliquid proficere suadendo,
 gratia contendimus, & rogando, siquid nostra caussa
 vis, ut istus te molestius laxes, & ad conuictum no-
 strum redeas, & ad consuetudinem b vel nostram com- b Aut cum a-
 munem, vel tuam solius ac propriam. Cupio non ob- micis, ut sole-
 tundere te, si non delectare nostro studio: cupio deter- bas, viue: aut
 rere ne permaneas in incepto: quum dua res ista con- saltem solus:
 traria me conturbent: ex quibus aut in altera mihi ve- hilariter.
 lim, si potes, obtemperes, aut in altera non c offendas. c Pro offenda-
 Vale. ris, ut etiam
 ep. i. lib. 1. ad

ARG. Quarenti Luceio, cur ab vrbe abesset, eiusq, Q. fr.
 marorem minuere conanti, respondet, & cur doleat, &
 cur in vrbe non viuat.

Responsoria ad consolatoriam.

Cicero s. D. Luceio.

15

Non tam ob a-
 missionē reip.
 O M N I S amor tuus ex omnibus partibus quam ob ami-
 se ostendit in iis literis quas à te proximè corum aut in-
 accepi, non ille quidem mihi ignotus, sed ta-
 men gratus & optatus: dicerem, iocundus, nisi teritum, aut
 id verbum in omne tempus perdidissem, ne absentia, qui-
 que obeam vnā causam quam tu suspica- dam enim ob-
 ris, & in qua me, lenissimis & amantissimis duruerant, ut
 verbis vtens, re grauitè accusas, sed quòd il- in patriam li-
 lius tanti vulneris quæ remedia esse debe- bertate spolia-
 bant, ea nulla sunt. Quid enim? ad amicos tam redire
 ne confugiam? quàm multi sunt? habuimus nollent.
 enim

enim ferè communes : quorum alij occiderunt, alij nescio quo pacto obdurerunt. Tecum viuere possem equidem, & maximè vellem. vetustas est, amor consuetudo, studia paria. quod vinculum, quæ res, deest nostræ coniunctioni? possimufne igitur esse vnâ? nec mehercule intelligo quid impediât: sed certè adhuc non fuimus, quum essemus vicini in Tusculano, in Puteolano. nam, quid dicam, in vrbe? in qua quum forum commune sit, vicinitas non requiritur. sed, casu nescio quo, in ea tempora nostra ætas incidit, vt, quum maximè florere nos oporteret, tum viuere etiam puderet. Quod enim mihi poterat esse perfugium spoliato & a domesticis & forensibus ornamentis atque solatijs? literæ, credo, quibus vtôr assiduè. quid enim aliud facere possum? sed nescio quo modo ipsæ illæ excludere me à portu & perfugio videntur, & quasi b exprobare quòd in ea vita maneam, in qua nihil insit nisi propagatio miserrimi temporis. Hic tu ea me abesse vrbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, c fori, curiæ? itaque sic literis vtôr, in quibus consumo omne tempus, non vt ab his medicinam perpetuam, sed vt exiguam doloris obliuionem petam. Quòd si id egissemus ego atque tu (quod ne in mentem quidem nobis veniebat propter quotidianos metus) e omne tempus vnâ fuissemus, neque me valetudo tua offenderet, neque te mœror meus. Quod, quantum fieri poterit, consequamur. quid enim vtrique nostrum aptius? prope diem te igitur videbo. Vale.

a Ob interitum
filia. ep. 6. l. 4,

b Oderût enim
turpia. turpissimum autem
seruire.

c In foro causas, agere solent,
in curia sententiam de
rep. dicere.

d Post Pharsalicam pugnam.
statim enim
Cicero in Italiam redijt.

ARG. *Consolatur diligenter in primis amicum, orbitum liberorum immoderatus ferentem.*

Consolatoria.

Cicero s. D Titio.

16

ET SI VNUS ex omnibus minimè sum ad te consolandum accommodatus, quòd a tantum ex tuis molestiis cepi doloris, vt consolatione ipse egerem, tamen quum a lōgius à summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quàm tuus, statui nostræ necessitudinis esse meaque in te benevolentia, non tacere tãto in tuo mœrore tam diu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ leuare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio peruulgata quidem ista maximè, quam
c HOMINES nos vt esse meminerimus, ea legematos vt omnibus fortunæ telis proposita sit vitanostra: neque esse recusandum, quo minus ea qua nati sumus, conditione **d** viuamus: nèvetam grauiter eos casus feramus, quos nullo cōsilio vitare possumus: **e** euentisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis noui cogitemus. Neque hæc neque ceteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis viris vsurpatæ, memoriarque & literis proditæ, tantum videntur proficere debere, quantum **f** status ipse nostræ ciuitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum: quum beatissimi sint qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bona aut denique **g** aliqua repub. perdidissent. Quòd si
 tuum

a *Comunicatio doloris, consolatio est.*

b *Vterq; enim reip. malui angimur, tu etiã proprii.*

c *Stultum est, communem legem recusare.*

d *Expositi omnibus fortuna telis.*

e *Vt cogitemus, quàm multi liberos amiserint.*

f *Qui est miserimus, vt bono viro iocunda vita esse non possit.*

g *Quasi tunc nulla prorsus esset.*

tuum te desiderium mouet, aut si tuarum rerum cogitatione mœres: non facile exhauriri tibi istum dolorem posse vniuersum puto. Sin illa te res cruciat (quæ magis amoris est) vt eorum qui occiderunt, misérias lugeas: vt ea non dicam quæ sæpissimè & legi & audiui, nihil mali esse in morte, in qua si resideat *a* sensus, immortalitas illa potius quam mors, ducenda sit: sin sit *b* amissus, nulla videri miseria debeat quæ non sentiat: hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere reipub. quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim iam non modò pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertatè ac salutè loci? non mehercule quenquam audiui hoc grauissimo & pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non à diis immortalibus ereptus ex his miseriis atque ex iniquissima conditione vitæ videretur. Quare si tibi vnum hoc detrahi potest, *c* nequid iis quos amasti, mali putes conigisse: permultum erit ex mœrore tuo diminutum relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum propriè referretur. in qua non est iam grauitatis *d* ac sapientiæ tuæ, quàm tu à puero præstitisti, ferre immoderatus casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum quos dilexeris, miseria maloque seiunctus. Etenim eum semper te & priuatis in rebus & publicis præstitisti, tuenda tibi vt sit grauitas & constantiæ seruiendum. nam, quod allatura est ipsa *e* diurnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id

nos

a Quod probare studet in lib. de senectute.

b Vt Arist. existimat, qui mortalem probat esse animam in Ethicis.

c Quum eos videas non hac tunc esse priuatos, sed horum temporum misérias effugisse. *d* Sapiens enim nulla re afficitur, præterquàm culpa.

e Ep. 28. lib. 7.

nos præripere consilio prudentiaque debemus. Etenim si nulla vnquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus: neque expectare temporis medicinam, quam a repræsentare ratione possimus. His ego literis siquid profecissem, existimabam optandum quiddam me esse assequutum: sin minus fortè valuissent, officio tamen esse functum benevolentissimi atque amicissimi: quem me tibi & fuisse semper existimes velim, & futurum esse confidas. Vale.

a *Ante tempus
consequi.*

ARGV M. *Excusat tarditatem literarum:
hortatur Sextium vt exili casum sapienter fortiterq;
ferat.*

Excusatoria, Consolatoria.

Cicero s. D. P. Sextio. P. Fr. 17

NON obliuione amicitia nostræ, neque in-
termessione consuetudinis meæ, superio-
ribus temporibus ad te nullas literas misi, sed
quod priora tempora in ruinis reipubl. b no-
strisque iacuerunt, posteriora autem me à scri-
bendo tuis iniustissimis atque acerbissimis c in-
commodis retardarunt. quum verò & inter-
uallum iam satis longum fuisset, & tuam virtu-
tem animique magnitudinem diligentius ef-
sem mecum recordatus: non putauì esse alienum
instituti mei, hæc ad te scribere. Ego te, P.
Sexti, & primis temporibus illis, quibus in
inuidiam absens & in crimen vocabare,
defendi.

b *Exiliū suum
significat.*

c *Exilium in-
telligit Sextij.*

a Milonis.

*a Extat oratio
pro P. Sextio.*

*c Id est, quum
iudicio condē-
natus esses.*

*d Hoc refertur
ad dictionem,
virum.*

*e Ab exemplis.
f A statu reip.*

g A Sextij filio.

*h Omiffa copu-
la, vt ep. 24. &
28. lib. 13.*

defendi: & quum in a tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum nomen coniungeretur, quàm potui accuratissimè te tuamque causam b tutatus sum: & proximè recenti aduentu meo quum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si assuissem, tamen nulla re saluti tuæ defui: quumq; eo tempore inuidiæ anno- næ inimici nō solūm tui, verum etiā amicorum tuorum, iniquitas iudicij, multaque alia reip. vitia plus quàm causā ipsa veritasq; c valuisēt, Publio tuo. neque opera, neque consilio, neque labore, neque gratia, neque testimonio defui. Quamobrem, omnibus officiis amicitiaē diligenter à me sancte q; seruatis, ne hoc quidem prætermittendum esse duxi, te vt hortarer rogarem q; vt & hominem te & virum esse meminisses. id est, vt & communem incertumq; casum, quem neque vitare quisquam nostrūm, neque præstare vllō pacto potest, sapienter ferres, & dolori d fortiter ac fortunæ resisteres, cogitaresque & in nostra ciuitate & in cæteris quæ rerum potitæ sunt, multis fortissimis atque optimis viris, iniustis iudiciis, e tales casus incidisse. Illud vtinam ne verè scriberem, ea te f rep. carere, in qua neminem prudentem hominem res vlla delectet. De tuo autem filio, vereor ne si nihil ad te scripserim, debitum g eius virtuti videar testimonium non cepisse: si autem omnia quæ sentio, perscripserim, ne refricem meis literis desiderium ac dolorem tuū. sed tamen prudentissimè facies, si illius pietatem, virtutem, industriam, vbiunque erit, tuam esse, h tecum esse duces. nec enim minus nostra sunt, quæ animo complectimur, quàm quæ

quæ oculis intuemur. Quamobrem & illius eximia virtus, summusque in te amor, magna tibi consolationi debet esse, & nos a cæterisque qui te non ex fortuna sed ex virtute tua pendimus semperque pendemus: & maximè animi tui conscientia, quum tibi nihil meritò accidisse reputabis, & illud adiunges, H O M I N E S sapientes turpitudine, non casu delicto suo, non aliorum *b* iniuria, commoueri. Ego, & memoria nostræ vereris amicitia, & virtute atque obferuantia filij tui monitus, nullo loco deero neque ad consolandum, neque ad leuandum fortunam tuam. tu si quid ad me fortè scripseris, perficiam ne te frustra scripseris arbitrere. Vale.

a A studio amicorum.

b Quasi non iure dānatus esset.

ARG. Argumentis utitur septem, ut Fabium exulem consoletur.

Consolatoria.

Cicero s. D. T. Fabio.

18

ET si regomet qui te *c* consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea quòd nullam rem grauius iam diu tuli, quàm incommodum rium: tamen te magnoperè non hortor solùm, sed etiam pro amore nostro rogo atque oro, te colligas virumque præbeas, & qua *d* conditione omnes homines, & quibus *e* temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit, quàm *f* fortuna abstulit: propterea quòd adeptus es, quod non multi homines noui: amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea denique videtur conditio *f* impendere legum, iudiciorum,

c A dolore suo nam genus est consolationis, quum nos quoque dolere significamus.

c A communi conditione.

e A temporum statu.

f A comparatione bonorum.

g A metu publica calamitatis.

L tempo.

a *A spe restitutionis.*

b *Ab opinione hominum.*

c *Ab officio suo.*

temporum, ut optimè actum cum eo videatur esse, qui quamleuissima pœna ab hac rep. discesserit. a Tu verò; qui & fortunas & liberos habeas, & nos cæterosque necessitudine & beneuolentia tecum coniunctissimos: qui que magnam facultatem sis habiturus nobiscum & cum omnibus tuis viuendi, & quum vnum sit iudicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod vna b sententia, ea que dubia, potentia alicuius condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam modestiam quamleuissimè ferre. c Meus animus erit in te liberosque tuos semper, quem tu esse vis, & qui esse debet. Vale.

ARG. *Rufo, paulò antè questori suo, in prouincia, suadet ut in bello ciuili Pompeium sequatur.*

Deliberatoria, Suasoria.

Cicero s. D. Rufo.

19

d *Aduerte in plerisque, epistolis insinuationem esse quandam ad beneuolentiam in principio.*

ET SI mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem charissimus: tamen quotidie magis id perspicio: extatque id quod mihi ostenderas quibusdam literis, hoc te studiosiorem in in me colendo fore, quam in prouincia fuisses (etsi, meo iudicio, nihil ad tuum prouinciale officium addi potest) quo liberius iudicium esse posset tuum. Itaque me & superiores literæ tuæ admodum delectauerunt, quibus & expectatum meum aduentum abs te amanter videbam, & quum aliter res cecidisset ac putasses, te meo consilio magnoperè esse lætatum: & his proximis literis magnum cepi fructum & iudicii, &

dicij & officij tui: iudicij, quòd intelligo, te (id quod omnes fortes ac boni viri facere debent) nihil putare vtile esse, nisi quod a rectum honestumque sit: officij, quòd te mecum, quodcumque cepissem consilii, polliceris fore: quo neque mihi gratius, neque, vt ego arbitror, tibi honestius esse quidquam potest. Mihi consiliũ captum iam diu est: de quo ad te non quo celãdus esses, nihil scripsi antea, sed quia communicatio consilij tali tempore, quasi quãdam admonitio videtur esse officij, vel potius efflagitatio ad coeundam societatem vel periculi, vel laboris. Quum verò ea tua sit voluntas, humanitas, beneuolentia, erga me, libenter amplector talem animum, sed ita (non enim dimittam pudorem in rogando meum) si feceris id quod ostendis, magnam habebò gratiam: si non feceris, ignoscã, & b alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitror. Est enim res profectò maxima. c quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est, ita tamẽ, vt si nos ij sumus qui esse debemus (id est, studio digni & literis nostris) dubitare non possimus quin ea maximẽ conducant, quæ sunt rectissima. Quare, tu si d simul placebit, statim ad me venies: sin idem placebit, atque eodem, nec continuò poteris, e omnia tibi vt nota sint, faciam. quicquid statueris, te mihi amicam: sin id quod opto, etiam amicissimum iudicabo. Vale.

a De ciuili par
te eligenda.

b Si te ciuilib.
armis immisce
re nolueris.

c Idẽ ep. 2. li. 4.

d Vt ad Pom-
peium simul
eamus.

e Quicquid
statuam & de
discessu, & de
tempore.

ARG. Purgatio Ciceronis ad Rufum, qua forem antea suam in Cilicia, de rationibus prouincialibus, obscura epistola, sed adiiciemus in margine, qua magnam partem illustrent.

Cicero s. D. Rufo.

20

Hic est L.

Messinius Eufus, quaestor Ciceronis, ep. 26. lib. 13.

b Si nuntiasses te venisse quo constitueras.

c Mos vetus erat, ut ad urbem qui proconsul erat, cum quaeflore suo rationes conferret prius quam ad ararium referret.

d Coruli eas tecum in provincia, ex Casari te ge, vide ep. 17. lib. 2.

e Confectas à scriba meo & fratre tuo legi.

Q V o modo potuissim, te conuenissim, si eò quo constitueras, venire voluisses. quare, etsi mei commodi causa commouere me noluisti: tamen ita existimes velim, me antelaturum fuisse, si ad me b misisses, voluntatem tuam commodo meo. Ad ea quæ scripsisti, commodius equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius scriba meus adesset: à quomihî exploratum est, in rationibus duntaxat referendis, (de cæteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem aut existimationem tuam: deinde, si rationum c referendarum ius vetus & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro coniunctione nostræ necessitudinis contulissim confecissimque, non fuisse. Quod igitur fecissim ad urbem, si consuetudo pristina maneret, id (quando lege Julia relinquere rationes iu provincia necesse erat, eademque totidem verbis referre ad ararium), c feci in provincia, neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem: sed tribui tibi tantum quantum me tribuisse nunquam poenitebit. Totum enim scribam meum, quem tibi video nunc esse suspectum, tibi tradidi. tu ei M. Minidum fratrem tuum adiunxisti. rationes confectas me absente sunt tecum: ad quas ego nihil adhibui præter e lectionem. ita accepi librum à meo seruo scriba, ut eundem acceperim à fratre tuo. si honos is fuit, maiorem tibi habere non potuis:

potui: si fides, maiorem tibi habui quàm penè ipse mihi. Si prouidendum fuit nequid aliter ac tibi & honestum & vtile esset, referretur: non habui cui potius id negotij darem. Illud quidem certè factum est quod lex iubebat, vt apud duas ciuitates, Laodicensem & *a* Apamensem, quæ nobis maximè videbantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas & consolutas deponeremus. Itaque huic loco primùm respondeo, me, quanquam iustis de caussis rationes *b* deferre properatim, tamen te expectaturum fuisse, nisi in prouincia relictas rationes pro relictis haberem. Quamobrem, de Volusio quod scribis, non est id rationum. docuerunt enim me periti homines, in his cum omnium periculisissimus, tum mihi amicissimus, C. Camillus, ad Volusium *c* transferri nomen à Valerio non potuisse, sed prædes Valerianos teneri. neque id erat LLS xxx, vt scribis, sed XIX. Erat enim curata nobis pecunia Valerij mancipis nomine: ex qua reliquum quod erat in rationibus: retuli. Sed sic me & liberalitatis fructu priuas, & diligentia, & (quod minimè tamen laboro) mediocris etiam prudentia: liberalitatis, quod mauis scribæ mei beneficio quàm meo, legatum meum præfectumque maxima calamitate leuatos, quum præsertim non deberent esse obligati: diligentia, quòd existimas: de tanto officio meo, tanto etiam periculo, nec scisse me quicquam, nec cogitasse, scribam, quicquid voluisset, quum id mihi ne recitasset quidem, *d* retulisse: prudentia, quum rem à me ne insipienter quidem cogitatum putas. Nam & Volusij liberandi meum fuit consilium: &

a Ep. 16. lib. 2.

b Quærebatur Rufus, quòd rationes deferre ad ararium nimis properasset, quadam enim corrigi cupiebat.

c Quòd Rufus petierat.

d In ratione.

vt multa tam grauis Valerianis prædibus, ipsi-
 que T. Mario depelleretur, à me inita ratio est:
 quam quidem omnes non solum probant, sed
 etiam laudant. & si verum scire vis, hoc vni
 scriba meo intellexi: non mimium placere. sed
 ego putauit esse viri boni, quum populus suum
 seruaret, consulere fortunis tot vel amicorum
 vel ciuium. Nam de Luccio est ita actum, vt
 auctore Cn. Pompeio, ista a pecunia in fano
 poneretur. id ego agnouit meo iussu esse factum.
 qua pecunia Pompeius est vsus, vt tua, quam
 tu deposueras, Sextius. sed hoc ad te nihil in-
 telligo pertinere. Illud me non animaduertisse
 modestè ferrem, vt adscriberem, te in fano
 pecuniam iussu meo deposuisse, nisi ista pecu-
 nia grauissimis esset certissimisque monumen-
 tis testata, cui data, quo S. C. quibus tuis, qui-
 bus meis, literis P. Sextio tradita esset. Quæ
 quum viderem tot vestigiis impressa, vt in his
 errari non posset: non b adscripsi id quod tua
 nihil referebat. ego tamen adscripsisse malle,
 quando id te video desiderare. Sicut scribis tibi
 id esse referendum, idem ipse sentio: neque in eo
 quicquam à meis rationibus discrepauit tuæ.
 addes enim tu, meo iussu: quod ego nunquam
 addidi: nec caussa est cur negem: nec, si esset.
 & tu nolles, negarem. Nam de L L S nongentis
 millibus, certè ita relatum est, vt tu siue frater
 tuus referri voluit, sed, si quid est, quando de
 Luccio parum prouisum est, quod ego in ra-
 tionibus referendis etiamnum corrigere possim:
 de eo mihi, quum S. C. non sim vsus, c quid
 per leges liceat considerandum est, te certè in
 pecunia exacta ita efferre ex meis rationibus
 relatis

a *Quam tu in fano posuisti meo iussu: quod nunc quereris à me esse in rationibus referendis pratermissum.*

b *Non scripsi in rationibus, meo iussu à te esse positam.*

c *Tacitè ostendit, se nihil illius caussa facturum, quòd per leges non liceat.*

relatis non oportuit: nisi quid me fallit. sunt enim alij peritiores. Illud cauē dubites quin ego omnia faciam, quæ interesse tua, aut etiam uelle te existimem, si ullo modo facere possim. Quod scribis de beneficiis, scito à me & tribunorum mil. & præfectos & contubernales duntaxat meos *a* delatos esse. in quo quidem ratio me fefellit. liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabant dari: postea certior sum factus, trigintā diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulisset. sanè molestè tui, non illa beneficia tuæ potius ambitioni reseruata esse, quàm meæ, qui ambitione nihil uerer. de centurionibus tamen & de tribunorum mil. contubernalibus, res est in integro: genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum est de L L S centum millibus: de quibus memini mihi à te Myrina literas esse allatas, non mei errati, sed tui, in quo peccatum uidebatur esse, si modò erat, *b* fratris tui, & Tullij. sed quum id corrigi non posset, quòd iam depositis rationibus ex prouincia decessissemus: credo me quidem tibi pro animi mei voluntate, proque ea spe facultatum quam tum habebamus, quam humanissimè potuerim, scripsisse. sed neque tum me humanitate mearum literarum obligatum puto, neque tuam hodiè epistolam de C L L S centum sic accepisse ut ij accipiunt, quibus epistolæ per hæc tempora molestæ sunt. Simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quæ ad me saluis legibus peruenisset, Ephesii apud publicanos deposuisse: id fuisse *d* L L S XXXI. eam omnem pecuniam Pompeium

a Vide scholiâ
in extremo lib.

b Qui rationes
me absente cō-
fecerant.

c Quæ mutua
petebat.

d Videtur ex-
ponēdū, bis vi-
cies milles.

a Publicè datis.

b Possessionem lege Casari assignatam. vide nostrum scholium.

abstulisse. quod ego siue æquo animo fero, siue iniquo, tu de LLS centū millibus æquo animo ferre debes, & existimare, eo minus ad te vel de tuis a cibariis, vel de mea liberalitate peruenisse. Quòd si mihi expensā ista LLS centum tulisses: tamen, quæ tua est suauitas, qui que in me amor, nolles à me hoc tempore b æstimationem accipere. nam numeratum si cuperem, non erat. Sed hæc iocatum me putato, ut ego te existimo. ego tamen, quum Tullius rure redierit, mitam eum ad te, siquid ad rem putabis pertinere. Hanc epistolam cur non scindi velim, causā nulla est. Vale.

ARG. Cupidum se esse significat Messinij videntis eumq; hortatur ut acerbiteratem temporum literarum studio, oprimaq; conscientia recordatione, mitiget.

Hortatoria.

Cicero s. D. L. Messinio.

21

c Idē aliis verbis ep. 11. lib. 2. De cupiditate.
d Bonitas, iocunditas, & amor, causæ cur amemus, vnaq; est supiamus. vide ep. 27. lib. 9.

GRATIAE mihi tuæ literæ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam sine literis arbitrabar, videndi mei te summa c cupiditate affectum esse. quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam. Nam tecum esse, ita mihi omnia quæ opto, contingant, ut vehementer velim. etenim, quum esset maior & virorum & ciuium bonorum, & iocundorum hominum, & d amantium mei, copia, tamen erat nemo, qui cum essem libentius quàm tecum & & pauci, quibuscum æquè libenter: hoc verò tempore, quum alij interierint, alij absint, alij mutati voluntate sint, vnum mediusfidius te-

CUM

Cum, diem libentius posuerim, quàm hoc omne
 tempus cum plerisque eorum, quibuscum viuo
 necessariò. Noli enim existimare, mihi non so-
 litudinem iocundiorè esse (qua tamen ipsa v-
 ti non licet) quàm sermones a eorum qui fre-
 quentant domum meam, excepto vno aut ad
 ad summum altero. Itaque vtor eodem perfu-
 gio, quo tibi vtendum censeo, literulis nostris,
 præterea etiã conscientia consiliorum meo-
 rum. Ego enim is sum (quem admodum tu fa-
 cillimè potes existimare) qui nihil vnquã mea
 potius, quàm meorum ciuium causa fecerim:
 cui nisi inuidisset *b* is, quem tu nunquam ama-
 sti (me enim amabas) & ipse beatus esset, & om-
 nnes boni. ego sũ is qui nullius vim plus valere
 volui, quàm honestum otium. idemque quum
 illa ipsa *c* arma, quæ semper timueram, plus
 posse sensi quàm illum consensum bonorum,
 quem ego idem effeceram, *d* quauis tuta con-
 ditione pacem accipere malui, quàm viribus
 cum valentiore pugnare. Sed & hæc & multa al-
 lia coram breui tempore licebit neque me ta-
 men vlla res alia Romæ tenet, nisi expectatio
 rerum *e* Africanarum. videtur enim mihi res in
 propinquum adducta discrimen. Puto autem
 mea non nihil interesse, quanquam id ipsum
 quid intersit, non sanè intelligo, verum tamen,
 quicquid illinc nuntiatum sit, non longè abes-
 se à consiliis amicorum est enim res ipsa iam in
 eum locum adducta, vt, quanquam multum in-
 ter sit inter eorum, causas qui dimicant, tamen
 inter *f* victorias non multum inter futurum pu-
 tem. Sed plane animus, qui dubiis rebus forsi-
 tan fuerit infirmior desperatis confirmatus est

a *Cæsaris familiarium.*

b *Pompeius.*

c *Cæsariana.*

d *Etiã si esset minus honesta.*

e *Ex una parte Cæsar fuit, ex altera Scipio & Iuba rex.*

f *Veriusq; vicioriam fore crudelem putat. vide ep. 9. & 14. li. 4.*

multum: quem etiam superiores tuæ literæ confirmarunt: quibus intellexi, quàm fortiter iniuriam ferres: iuuitq; me, tibi cum summam humanitatem tum etiam tuas literas profuisse. Verum enim scribam: teneriore mihi animo videbare, sicut omnes ferè, qui, vita ingenua, in beata & libera ciuitate viximus. sed vt illa a secunda moderatè tulimus: sic hanc non solum aduersam, sed etiam funditus *b* euersam, fortunam fortiter ferre debemus: vt hoc saltem in maximis malis boni consequamur, vt mortem, quam etiam beati contendere debebamus, propterea quòd *c* nullum sensum esset habitura, nunc, si affecti, non modò contemnere audeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, frui isto otio, tibiq; persuade, PRÆTER culpam ac peccatum, quo semper caruisti & carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum. Ego, si videbitur rectè fieri posse, ad te veniam breui: siquid acciderit vt mutandum consilium sit, te certiore faciam statim. Tu, ita fac cupidus mei videndi sis, vt istinc te ne moueas tam infirma valetudine, nisi ex me prius quæsieris per literas, quid te velim facere. Me velim, vt facis, diligas, valetudiniq; tuæ & tranquillitati animi seruias. Vale.

a Quum resp. floreat.

b Quum Casari seruiamus.

c Rerū humanarum, nā im mortales animos putat, idq; niritur probare in lib. de senectute.